



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 53. Examen quæstionis de piis actionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI

A. C. 1546.

§. LIII.

*Examen quæstionis de piis actionibus.*

Postquam Franciæ Oratores fuerant admissi, tertia post die decima quinta Julii Theologi habito conventu articulos de piis operibus examinabant, eorumque tria distinguebant genera, quorum prima fidem, omnemque gratiam præcedunt, quædam vero post primæ gratiæ receptionem fiunt, & tandem alia post obtentam justificationem exercentur. Porro circa priores piæ actiones quærebatur, utrum omnes illæ sint peccata: potissimum vero dubium indoriebatur, quod dentur quædam actiones adiaphoræ, in quibus nec bonitas, nec malitia reperitur: aliæ vero sint, quæ moralem habent bonitatem, istisque accensentur infidelium actiones. Hanc in rem Ambrosius Catharinus istam propugnavit sententiam: *Homo absque singulari Dei ope nullam actionem potest peragere, quæ vere bona dici potest, ne moraliter quidem, sed peccatum solummodo, ideo omnia opera infidelium, qui a Deo non excitantur ad credendum, & omnes actiones fidelium, sed peccatorum, antequam a Deo excitantur ad conversionem, utcumque honestæ, imo heroicæ videantur, vera sunt peccata, Quod si quis eas magni facit, is* in

in genere eas spectat, & externam modo Sæcul. XVI.  
A.C. 1546.  
speciem intuetur; at qui singulares uniuscujusque actionis circumstantias introspexerit, earum pravitatem facile deprehendet, itaque hoc nomine Lutherus minime damnandus, etiamsi articuli ii censuram meritissimo deponant, quatenus opera complectuntur gratiam prævenientem consequentia, quæ ad justificationem sunt præparatoria; cujusmodi sunt peccati odium, & detestatio, metus inferni & alia conscientie terriculamenta. Porro hanc Catharini opinionem Dominicus Soto vehementer impugnavit, eamque tanquam hæreticam perstrinxit. Cetera cum de iis, quæ ad justificationem disponunt, ageretur, communis omnium Theologorum erat hæc sententia: Post excitationem divinam nascitur timor, aliæque considerationes ejus perversitatis, quæ est in peccato: itaque Lutheri opinio, quæ terrorem hunc censet malum, damnatur ut hæretica: Deus enim hortatur peccatorem, eumque ad ejusmodi cogitationes impellit; cum tamen impium sit dicere, Deum movere ad peccatum. Præterea officium est prædicatoris, hujusmodi mediis peccatoris animum perterrefacere, ac consternare. Jam cum a statu peccati ad statum gratiæ per hæc media perveniatur, permirum eis videbatur, a peccato ad justitiam transiri non posse, nisi per alterius peccati viam. Obstabat tamen nodus in con-

Sæc. XVI.  
A.C. 1546

trarium, quem non erat facile dissolvere, nempe quod bona opera possent consistere cum gratia, timor autem hic, aliæque præparationes cum ea neutiquam consistere, adeoque in malis esse valeant. Ad hæc Antonius Marinarus Carmelita sic dixit: *Altercatio hoc modo est de verbis; sicut enim a frigore penetrabili ad calorem fit transitus per gradum frigoris remissioris, qui nec est calor, neque novum frigus, sed idem frigus imminutum: sic a peccato ad justitiam transitur per terrores & contritiones, quæ neque opera bona sunt, neque nova peccata, sed vetera tantum extenuata.* Sed cum huic sententiæ ceteri fere omnes Theologi contradicerent, palinodiam cecinit.

Pariter circa opera, quæ in statu gratiæ fiunt, nullum inter Patres erat dissidium; omnibus enim ea erat sententia, quod hæc opera sint perfecta, & vitæ æternæ meritotia, adeoque impia sit & sacrilega Lutheri opinio, qui omnia censet esse peccata: cumque blasphemia non vacet, qui dixerit beatam Virginem vel minimum veniale peccatum admisisse, certe is, qui in omni actione eam peccasse dicit, vocem emittit Christianis auribus indignam, atque ipse propter tantas blasphemias dignus est, cui tellus ima dehiscat, & quem Tartarus ipse absorbeat.

§. LIV.